

IV.

König Otto III. setzt die grenzen des bisthums Meissen seinerseits fest od. vielmehr bestätigt die früheren. D. Franconofurt, 6. december. (VIII. id. decemb.) 996. 5

In nomine sanctae et indiuiduae trinitatis, Otto diuina fauente clemencia rex, notum sit omnibus in Christo fidelibus scilicet presentibus et futuris, quomodo nos pro remedio animarum dilecti aui nostrj simul et patris nostri nec non pro nostrae animae remedio more antiquorum imperatorum et regum, nostra regali potestate Misnensi episcopatu terminum posuimus nominando fines et determinaciones locorum sicut infra tenetur. Vbi caput et fons aquae quae dicitur Odera. Inde quasi recta uia usque ad caput Albiae. Inde deorsum in occidentalem partem, ubi diuisio et confinium duarum regionum Behim et Nisenin. Ibidem ultra Albiam et per siluam in occidentalem partem usque ad caput Mildae. Et sic deorsum ambas plagas ejusdem fluminis scilicet prope occidentalem ripam Rochilinze et sic usque dum Milta intrat in Albiam nec non ob hoc diximus in occidentali plaga, quia multae uillae pertinent ad orientales urbes et sic sursum et ultra prouinciam Nizizi ad eundem terminum sine dubio, nec non in altera parte Lusizi et Selboli. Et sic usque ad ciuitatem Zalbiza, illam uidelicet infra eundem terminum. Et inde in aquam quae dicitur Odera et sic Odera sursum usque ad caput eius. Omnes uero qui infra terminum istum habitent in omni fertilitate terrae frugum et pecudum, in argento, uestimento nec non quod teutonici dicunt ouarcapunga et talunga familiarum in super tota utilitate et in omnibus rebus quibus mortales utuntur diuersis modis, decimaciones quas deo cuncta gubernanti debent ad Misnensem aecclesiam, primo deo deinde sancto Johanni euangelistae beatoque Donato martiri dei uniuersa dubietate procul remota persoluant referant et reddant. Et si quis hoc preceptum in remuneracionem deo constitutum disuestire uel